SAMMELHANDSCHRIFT MIT HISTORISCHEN UND HAGIOGRAPHISCHEN TEXTEN

12. Jh. Seite 176v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fuit per plebes et provincias quae sub eius erant ditione: praeceptum invaluisset. ut
de omnibus eius regionibus et provinciis omnes populi convenirent: atque aedificarent viam
latam et firmam ramis arborum petris in fundamento positis et munitionibus
quibusdam firmissimis in gurgite imo profunda et pene intransmeabili et in locis hu-
mentibus atque in paludibus in quibus grandis currebat fluvius. quae constructa qua-
drigas et equites et currus et plaustrorum rotas et impetum populorum atque incursum
undique hostium sustentare posset. Convenientibus autem undique populis per cognatio-
nes et familias diviserunt viam illam quam aedificare debuerant in partes suas
ut unaquaeque cognatio et familia suam sibi creditam construxisset partem. Et cum
illa pars fluminis difficillima et laboriosa in sorte alicui ex populis nationibus evenis-
set: ipsa natio durissimum devitans laborem per suam fortitudinem sanctae Brigidae
infirmiorem coegit nationem ut hanc operaretur difficilem partem in struc-
tura viae ut suam quam faciliorem habebat partem eligens. ipsa crudelis
natio aedificaret sine ulla fluminis perturbatione: Atque cum ad sanctam Brigidam
sui secundum carnem cognati venissent religiose postulati. ipsa illis probabiliter dixisse
fertur: Abite voluntatis dei est: et potestatis ut ille fluvius transeat de loco
in quo est: et ubi vos dura opprimunt opera in illa quam ipsi elegerunt parte redeat.
Et cum de mane ipsius diei omnes surrexissent ad opera ipsi. fluvius ille quem
querebantur visus est reliquisse suum antiquum locum. et convalle inter
ambas currere solebat ripas. et transmutasse de parte: ubi sanctae Brigidae na-
tio compulsa operabatur in illorum fortium et superborum partem. qui alios paucio-
res et infirmiores se invite: et durissime operari compellebant: et in testimo-
nium virtutis vestigia fluminis et vallis vacua ubi inundans et emanans
antiquo currebat tempore: ipso ad alterum recedente flumine locum ipse
locus siccatus sine ullis apparet fluctantibus aquis. Non solum autem in sua
vita carnali. antequam sarcinam deponeret carnis. virtutes operata est plurimas
sed largitas divini muneris in suo monasterio. ubi eius venerabile requiescit
corpus semper operari virtutes non cessat. quas nos virtutes non solum audivimus
sed etiam oculis nostris vidimus. Nam praepositus maximi monasterii sanctae Brigidae
de quo in mei opusculi principio brevem fecimus mentionem: operarios et lapidum caesores
quaerere lapidem et incidere molarem per loca quaecumque ubi possent invenire trans-
misit. Et illi sine ulla prudentia viarum arduam ascendentes viam. ad cacu-
men petrosi montis pervenerunt et elegerunt lapidem grandem in ipso montis
cacumine altissimi. Et caedentes eum de omni parte in rotundum et perforatum
molarem lapidem formaverunt. Cum vero praepositus de monasterio invitatus
ab eis venisset: cum bubus ad illum montem. in quo lapis formatus fuit molaris

fluvius
h(ic)

et clarissimi